



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 21. Armorum societas adversus Turcas a Pontifice contracta

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

ne tamen Papæ Legatis palam adversa-  
retur, se Imperatori Selimo arma inferen-  
do imparem esse obtendebat, eo quod  
bello, quod in Venetos movisset, tam a-  
criter implicaretur, ut novum suscipere  
haud sibi integrum foret, quamvis cete-  
roquin suam quoque opem conferre pa-  
ratus esset, minime tamen copias suas ex  
Hungaria dimittere posset, eo quod inge-  
nitum bellum sit Germanis cum Hunga-  
ris; proin timendum, ne illi transitum  
his aut omnino negarent, aut durissimis  
nonnisi conditionibus concederent. Ob-  
tendebat insuper, quod cum Ladislao  
Hungariæ & Bohemiæ Rege foedus fuis-  
set initum, vi cuius Rege defuncto Cæ-  
sar vel ejus posterum in hæc Regna succe-  
derent; hinc duo sceptrum, quæ Nepoti  
suo competere, amittendi periculo sese  
exponeret, quod tamen minime consul-  
tum foret: his denique addidit, magis  
e re esse, ut Imperii vires reserventur,  
fors quondam in Hungaria atque Bo-  
hemiæ Nobiles convertendæ; hos enim  
initis pactationibus vehementer adversari  
ajebat.

## §. XXI.

*Armorum societas adversus Turcas a  
Pontifice contracta.*

Summus Pontifex hac Cæsaris repulsa *Marian. lib.*  
nullatenus animo fractus, opera se-30. n. 109.

Sæcul. XVI.

A.C. 1514.

Sæc. XVI.

A. C. 514.

dulo navata tantum effecit, ut adversus Turcas foedus pangeret, Mediolanensi Duce, ac Genuensibus eidem nomen dantibus. Ceteros quoque Principes Christianos, ac præcipue Galliæ, Angliæ, & Lusitaniæ Reges ad eandem Societatem pertrahendi spem concipiebat. Præcipui autem hujus foederis articuli erant. I. Ad recuperandas Christianorum Principum ditiones, Turcasque ab illis repellendos Foederati justum Equitum numerum pro ratione cujuscunque virium taxandum suppeditabunt, atque ad conscribendos pedites, alendumque exercitum æstimatione facta certam pecuniaram summam subministrabunt. II. Siquis Foederatorum alteri bellum nunciaturus esset, illum ceteri omnes velut communem hostem habebunt, invasumque tueri satagent. III. Denique Confoederati Principes sexdecim saltem Helvetiorum millibus suo quisque ære stipendia solvent. Attamen dominandi libido, invidia, ac mutua Principum odia pia hæc Pontificis evertiebant consilia; opportune tamen factum, ut Infideles aliunde pluribus bellis impliciti, arma sua aliorum convertere compellerentur, eoque pacto Italiæ saluti vel inviti consulerent.

§. XXII.